

§ 2. SCHOLA PRACTICA.

1° *Antonius Ashley Cooper*, comes Shaftesburgensis, 1671—1713, Joannis Locke discipulus et amicus, principia empirismi in ethica evoluit. Haec fere asserit: *a)* Homo habet stimulos sociales seu sympathicos, qui tendunt ad bonum commune; et stimulos egoisticos seu ideopathicos, qui tendunt ad bonum individui; ac demum stimulos innaturales qui illis duobus opponuntur; — *b)* stimuli innaturales ex sua natura sunt mali; ceteri possunt vel boni vel mali esse, si enim stimulus ideopathicus superat socialem fit malus; et vice versa; — *c)* moralitas consistit in harmonia stimulorum socialium et egoisticorum, et inde etiam beatitudo hominis exurgit. Illa harmonia comparatur ope cujusdam moralis instinctus vel sensus; — *d)* moralitas est a religione independens, imo ei religio nocere potest.

2° *Samuel Clarke*, Norwichensis, 1673—1729, protestans praedicator, Lockii et Newtonis discipulus, Cartesium multum legit; non novum fecit, sed moderata tuitus est contra sui temporis excessus. Honestatis essentiam reponit in observatione relationum essentialium rerum, qua fiat ut totus ordo a creatore volitus servetur.

3° *Franciscus Hutcheson*, Hibernus, 1694—1747, docuit Glasgaviae. Distinguit stimulum concupiscentiae seu amoris proprii, et benevolentiae seu boni communis. In homine est quidam sensus moralis, criterium judicandi de subordinatione stimuli concupiscentiae et imperio stimuli benevolentiae. Ex illa harmonia oriuntur tum beatitudo individuorum et generis humani, tum omnia officia ergo Deum et homines. — Primus famosae *scholae scoticae* fundator (quam cave ne confundas cum scholasticorum *Scotistarum* schola).

4° *Adam Smith*, Kurkaldiensis, 1724—1790, Hutchesonis discipulus, docuit Glasgaviae. Ponit principium moralitatis in sympathia, i. e. in hominis naturali inclinatione compatiendi et consentiendi cum aliis. Si enim aliorum actiones in his circumstantiis positae approbare potes, bonae sunt, sin eas reprobare debes, malae sunt; unde lex moralitatis: «ita age ut alii tecum sympathiam sentire possint,» i. e. tuas actiones approbare.

§ 3. SCHOLA DEISTICA.

1° In Anglia evolutum fuit systema Lockiani empirismi in ulteriorem negationem omnis supernaturalis ordinis. Cujus rei causae fuerunt: Episcopalis Ecclesiae tyrannica oppressio dissidentium, et sectarum mox plurimarum orientium dissensiones; unde reactio, et libertas effrena cogitandi. — Praecipui fuerunt aliqui protestantes ministri, negantes mysteria et miracula, et ipsam providentiam Dei.

2° In Gallia empirismus Lockii simul cum scepticismo et irrisionibus Petri Bayle evolutus atque ad extrema perductus fuit. Praecipui fuerunt:

a) *Franciscus Arouet Voltaire*, Parisiensis, 1694—1778, moribus corruptus, ob aliqua carmina in carcerem, deinde in exilium missus, in Anglia cum Deistis Toland, Tindal, Bolingbroke, amice conversatus, in Borussia cum Frederico II rege, postea in Galliae variis partibus vixit. — Is impiissimus irrisor omnis religionis et cultus divini, vir levissimi ingenii, solam Dei otiosi existentiam esse demonstrabilem admittit; de animae natura, spiritualitate, immortalitate dubitat; — omnem ethicam ad solum cultum rationis reducit, i. e. ad aliqualem philanthropiae sensum, libertatem omnimodam, ab omni lege divina solutam, et contemptum rei supernaturalis cujuscumque.

b) *Carolus de Montesquieu*, Burdigalensis, 1689—1755, varia opera levitatis plena scripsit; sed maxime effecit libro «de spiritu legum,» quo primus theoriam et ideam regiminis moderni repraesentativi et status constitutionalis exponit.

c) *Joannes Jacobus Rousseau*, Genevensis, 1712—1778, morum corruptela famosus; notus sua expositione religionis naturalis et educationis sine omni religione; auctor celebris libri et systematis «contractus socialis» (cfr. Ethic.).

§ 4. SCHOLA MATERIALISTICA.

Ex empirismo ad sensualismum et deismum logice delabendum est, indeque ad materialismum, qui negando omne principium immateriale, simul omnem religionem et virtutem destruit, atque omne vinculum societatis civilis et domesticae solvit. Quod philosophandi genus speculum est saeculi vitiis corrupti. Eo plurimi in Gallia deciderunt. Scriptores praecipui fuerunt:

a) *Dionysius Diderot*, Langrensis, 1713—1784, — *b)* *Joannes d'Alembert*, Parisiensis, spurius infans derelictus, 1717—1783; mathesibus praecipue incubuit; — hi duo praecipui collectores et editores famosi «dictionarii encyclopaedici» fuerunt.

c) *Paulus Lagrange de Holbach*, Hildesheimiensis, vixit et obiit Parisiis, 1723—1789, auctor vel saltem instigator ac patronus operis: «systema naturae,» quo extrema omnia consecutaria materialismi nude ac sine ullo pudore proponuntur.

§ 5. SCHOLA SCEPTICA.

1° *Georgius Berkeley*, Kilkrinensis Hibernus, 1684—1753; studuit theologiae Dublinii, varias Europae regiones peragravit, tandem episcopus anglicanus Cloynensis in Hibernia. — Ex empirismo Lockii deducit negationem omnis mundi corporei, solos spiritus admittit; quia propria nostra cogitatio intellectualis nobis immediate quidem evidens est; corporum vero existentia conclusione cognoscitur; falsa autem est haec conclusio, nam nec ipsa evidens est, et refutatur ex impossibilitate intelligendi concursum heterogenearum substantiarum, corporum videlicet et spirituum; ergo sensibilis

mundus nihil est nisi nostrarum idearum subjectiva successio, quarum et causa efficiens et objectivus valor Deus ipse est.

2° *David Hume*, Edinburgensis, 1711—1776, vixit pluries in Gallia et in Anglia. — Principia empirismi ita evoluit ut omnem objectivam realitatem cognitioni humanae abneget. Etenim *a)* circumscritbit ambitum cognitionis ad solas experientiae perceptiones. Perceptiones nostrae sunt vel impressiones, i. e. sensationes ejus quod videmus, audimus, tangimus, amamus, concupiscimus..., vel ideae quae oriuntur ex reflexione ad impressiones. Unde ideae tantum valent quantum impressiones, vel imo sunt iis debiliores, sunt enim imagines perceptionum. — *b)* Tota mentis activitas circa perceptiones versatur, quatenus eas varie combinare potest. Patet universalia non nisi mentis figmentum esse. — *c)* Cognitionis quae est combinatio idearum refertur vel ad ipsas ideas vel ad facta; unde oriuntur judicia analytica, quibus mens ex una idea derivat alteram, operatione mentali, independenter ab omni objectiva realitate; et judicia synthetica, ubi praedicatum non continetur in subjecto, sed ei ut factum contingit. Ergo judicia synthetica eatenus vera sunt quatenus nituntur principio causalitatis; hoc vero est illusorium, quia ejus veritas neque a priori elucet, cum effectus omnino differat a causa, nec proinde possit ex notione causae derivari; neque a posteriori ex experientia probatur, cum experientia meram successionem phaenomenorum referat, minime vero eorum connexionem testetur. Haec connexio in mente fit ex consuetudine et praedicio, futura praeteritis esse similia; sed quid a parte rei, nihil scimus. — *d)* Ergo notio Dei, et substantiae tum spiritualis tum corporeae omni valore objectivo destituitur. Ut credamus res mundanas existere ducimur instinctu, quem vocat fidem; haec autem non est actus mentis sed sensualitatis, quae per vividam impressionem nos impellit ut sensationes referamus ad objecta externa. — Multa ex eo Kantius mox hausit.

ARTICULUS 2.

De Rationalismo.

1° *Thomas Reid*, Aberdeenensis, 1710—1796, philosophiam docuit Aberdeanae, dein Glasgoviae; praecipuus ipse scholae Scotiae; contra Scepticismum Humii reagens, ipsum Lockii et Baconis primum principium aggreditur, nihil nisi ex experientia notum esse; contenditque primas hominum cognitiones, easque certissimas, esse ex «sensu naturae communi,» qui instinctu, caeco quidem, sed naturali et infallibili, ad primas plurimas veritates admittendas inclinatur. Hujus autem infallibilitas ex eo constat, quod a Deo veraci et infallibili auctore naturae inditus sit. — Ex hoc sensu communi omnibus hominibus certa est existentia rerum mundanarum corporearum, et proprii sui corporis, et Dei creatoris gubernatoris. — Hujus sensus communis fundamenta veracitatis scrutari et dijudicare non est philosophiae jus, non enim

ex philosophicis argumentis vel rationibus ea dependet. — Hunc sequuntur plerique in schola scotica.

2° *Godifredus Guillelmus Leibnitz*, Lipzianus, 1646—1716; professoris philosophiae moralis filius, adolescens praecocis scientiae, vir eximii et amplissimi ingenii, vixit apud varios tum Germaniae tum ceterae Europae reges et principes honoratus consiliarius. — Is miram quamdam omnium sententiarum inter se contrariarum harmoniam et concordiam adducere intendit: speculationem aristotelico-scholasticam cum recentiorum placitis conciliare, speculationem cum mathematicis, naturalibus et historicis inquisitionibus, scientias cum christiana fide, christianas sectas haereticas varias tum inter se, tum cum catholica veritate componere in unitatem satagit. Quod impossibile opus conaminibus pluribus nunquam tamen ad felicem exitum perducere potuit. Ejus enim ideologia ad gratuito praeconceptas notiones inflatas ducit, ejus monadologia ad falsum substantiae conceptum atque inde fluentes consequentias, ejus theologia ad optimismum, ejus ethica ad determinismum, religionis philosophia ad rationalismum exaggeratum. — Hinc factum est, ut tanti ingenii universalitas multas quidem quaestiones agitaverit, multas veritates attigerit, coaevis suis multo praecellentior fuerit; nullum tamen systema philosophicum relinquere potuerit quod esset veri progressus atque evolutionis capax, vere syntheticum ac posteritati utile, sed curiosum potius specimen mixturae plurimarum veritatum sublimium, simul et incohaerentium contradictionum. Ceterum systema scholasticum multum admiratur, ex eoque multa sibi assumit.

Plurimus fuit effectus in Germania per totum hoc saeculum ex scriptis Leibnitzii productus. Isque praecipuus dici potest, quod nec Anglorum et Gallorum empirismus et materialismus, nec Gallorum et Belgarum Cartesianus rationalismus idealisticus in Germaniam propagari potuerunt; sed altior et utriusque aliquid concedens, neutri tamen ad extrema obsecundans rationalismus perseveravit. At vero tam firmus non erat, ut arcere posset invadentem naturalismum popularem, nec Kantii idealismum transcendentem, de quibus cfr. infra.

3° *Christianus Wolff*, Breslaviensis, 1679—1752, docuit Hallae, Marburgi, et iterum Hallae. — Is vere propriam sibi philosophiam non habet; sed Leibnitzii placita assumpsit, aliquibus excessibus purgavit, cum Aristotelismo magis conciliavit, nonnulla argumenta vel addidit vel correxit. Maximum ejus meritum est, quod omnia illa ad corpus doctrinae systematicum unum reduxit; primus philosophicarum rerum partitionem hodie satis vulgatam induxit, in logicam, ontologiam, cosmologiam, psychologiam, theodicaeam, ethicam, jus naturale, politicam. — In expositione abutitur methodo mathematica, et saepe diffusus est nimis.

4° Contra philosophiam Leibnitzii et Wolffii, insurrexerunt nonnulli severiores lutheranae theologiae sectatores, calumniantes atheismum, spinozismum, impietatem. — Multi tamen fuere discipuli tum Leibnitzii, tum Wolffii, per totam Germaniam.

5° Propagatus tamen est hoc saeculo in Germania etiam Deismus aliquis, ex Anglorum ac praesertim Gallorum operibus haustus. Tunc enim fere omnes sibi honori reputabant Gallos quovis modo imitari ac sequi, idque vocabant «illuminationem populi.» Unde factum est ut brevi tota protestantium theologia in incredulitatem et effrenam opinandi libertatem abiret. Ast nihilominus non ad extrema sensualistarum ac materialistarum Gallorum placita pervenerunt Germani, tum ob ingeniorum et indolam differentiam, tum praecipue ob dominantem Leibnitzii et Wolffii influxum.—Illuminantium praeclariores fuerunt :

a) *Hermann Samuel Reimarus*, Hamburgensis, 1694—1768; docuit Hamburgi philosophiam. In operibus nihil novi, sed Anglorum Deismum ad Germanorum captum exponit et evolvit.

b) *Gottholdus Ephraim Lessing*, Camenzinus, 1729—1781, poesi, historiae, philosophiae, et protestanticae theologiae pariter deditus, multas Germaniae urbes invisit, multa popularia scripsit. — Ex Leibnitio et Helvetio multa deprompsit, plura vero ex Bayle et Spinoza.

c) *Joannes Gottifredus Herder*, Morunganus, 1744—1803, deismum eoque perducit ut totaliter sejuncta sint dogmata a religione : dogmata enim nulla esse, et gratuito affirmari; religionem vero consistere in pietatis sensu erga Deum, sine ulla practica obligatione agendi vel credendi; et ita in pietismum abit.

6° *Isaac Cardoso*, illustris apud Hispanos medicus et philosophus, scripsit «Philosophiam liberam» opus plenum eruditionis quoad naturales scientias medicas; quoad philosophica vero sequitur plerumque cartesianum rationalismum, minus tamen audacter, retinetque nonnulla ex scholasticis.

ARTICULUS 3.

De philosophia Christiana.

Medias inter omnes illas empirismi et rationalismi divagationes, non tamen hoc saeculo defuerunt etiam christianae philosophiae cultores. At hi, sui aevi torrentem non omnino vitare valentes, aliquid recentibus plerumque concedebant, suntque illi tum apud protestantes tum apud catholicos varii.

§ 1. Schola Cartesiana.

§ 2. Schola Platonica.

§ 3. Schola Ontologistica.

§ 4. Scholastica.

§ 1. SCHOLA CARTESIANA.

In Gallia catholici ex Cartesii placitis non pauca sibi assumpserunt, quae cum religionis dogmatibus non omnino inconciliabilia videbantur. Horum praecipui fuerunt :

a) *Jacobus Benignus Bossuet*, Divionensis, 1627—1704, Episcopus Meldensis, orator sublimis notissimus; apud Catholicos in Gallia complurimum operibus suis effecit.

b) *Franciscus de Salignac de la Mothe Fénelon*, Petragoricensis, 1650—1715, Archiepiscopus Cameracensis; demonstrat existentiam Dei argumento Cartesii.

c) Contra Deismum et materialismum plures apologetae insurrexerunt, quos inter eminuit *Nicolaus Bergier*, Darneyensis, 1718—1790.

§ 2. SCHOLA PLATONICA.

In Anglia protestantes nonnulli contra Deismum et sensualismum dimicantes, Platonice doctrinis, ex graecarum litterarum renascente studio haustis, potius adhaeserunt, revelationemque christianam defenderunt. In dogmatum explicatione tamen Socinianismo infecti sunt. Horum praecipui fuerunt :

a) *Thomas Stanley*, Hertfordiensis, 1625—1678; primam philosophiae historiam conscripsit, cui revelationis defensionem innexuit.

b) *Samuel Parker*, Somersetanus, 1617—1688, Episcopus Oxoniensis anglicanus, platonicae philosophiae innixus, mechanicam et atomisticam mundi explicationem refellit, finalitates in mundo ostendit, et inde existentiam Dei.

§ 3. SCHOLA ONTOLOGISTICA.

Nicolaus Malebranche, Parisiensis, 1638—1715, sacerdos catholicus oratoriensis, Cartesianismo imbutus, S^{ti} Augustini opera pervolvit, suo modo intellexit, et in Ontologismum (cfr. Logic. et Psychol.), atque Occasionalismum (cfr. Cosmol.) simul et optimismum pervenit. Libertatem humanam consequenter negare debuisset, sed eam defendit, in eo sitam esse reputans, quod motioni et actioni Dei in voluntatem hominis is resistere, actumque omittere possit; unde concludit malum unice in negatione, in omissione actionis consistere.

Suo tempore doctrina ista parum propagata, praeterquam in congregatione oratorii fuit; impugnata potius a pluribus, et mox fere derelicta; donec nostro saeculo XIX iterum inter catholicos non paucos assumeretur; cfr. infra.

§ 4. SCHOLASTICA PHILOSOPHIA.

Toto hoc saeculo per universam Europam, ac praesertim in septemtrionalibus regionibus, scholastica veritas multum detrimentum passa est, invadentibus novitatibus plurimum passim cessit; nec tamen plene extincta fuisse dicenda est.

1° In Italia Thomisticam philosophiam propugnauerunt :

a) *Nicolaus Arnu*, Lotharingus, 1629—1692, Dominicanus, docuit Tarraconae, Perpiniensi, Romae, Patavii.

b) *Nicolaus Gennaro*, Messanensis, natus 1654, Dominicanus, docuit Messanae.

c) *Joannes Syri*, Ovadanus prope Genuam, Dominicanus.

d) *Sylvester Maurus*, Spoletanus, 1619—1687, Jesuita, docuit Romae, exactae et solidae doctrinae vir.

e) *Joannes Raphael Vico*, Neapolitanus, 1669—1744; contra Cartesium demonstrat veritatem esse generis humani traditam hereditatem communem, non denuo fundandam sed ex historia et sermone humano accipiendam. Atque ita principium statuit ex quo traditionalismus sequenti saeculo evolutus fuit.

f) *Hyacinthus Sigismundus Gerdil*, Samoentinus Sabaudiae, 1718—1802, Barnabita, docuit philosophiam Maceratae et Casalae, deinde praeceptor principis Sabaudiae, tandem Cardinalis; vir praeclarae eruditionis, scholasticus sui temporis praestantissimus, multiplici operum genere simul, et virtutibus clarus. Recentiora systemata refutat; Malebranchii doctrinam satis amice tractat mitigatque.

2° In Hispania semper tenacior fuit scholasticae fidelitas. Hoc saeculo magnae quidem notae nulli fuere eminentes doctores sicut superioribus; notabiles aliqui sunt:

a) *Laurentius Hervas et Panduro*, 1735—1809, Societatis Jesu; docuit philosophiam Matriti; dein missus in Americam; inde cum Sociis expulsus vixit in Italia exul; vir magnae eruditionis magnarumque virtutum.

b) *Andreas Piquer*, medicus et philosophus, apud Hispanos popularem vulgatamque fecit philosophiam, patrio idiomate suos libros conscribens. Ejus philosophia in multis fere philosophia scholastica est, praeterquam quod homini sui compoti ideam et notionem innatam et connaturalem divinitatis adesse docet, theoriam materiae et formae in rebus physicis rejicit, et animae facultates aliter enumerat explicatque.

c) *Ferdinandus Ceballos*, ordinis Sⁱ Hieronymi, recentiorum philosophorum impia et absurda dogmata solide convellit.

3° In Gallia rariores in dies fiunt veri scholastici. Fere sufficiat nominasse aliquos.

a) *Claudius Frassen*, Perronensis, 1620—1711, Franciscanus, vir egregiae virtutis, docuit Parisiis. Doctrinam Scotistarum voce et scripto praeclare exposuit et expolivit.

b) *Franciscus Noël*, † 1729, Jesuita, Suaresium sequitur fideliter, et in compendium redigit.

c) *Paulus Gabriel Antoine*, Lunaevillensis, 1679—1743, Societatis Jesu, docuit Mussiponti.

4° In Belgio nonnulli notatu digni scholastici.

a) *Jacobus Platel*, † 1681, Jesuita, docuit philosophiam, deinde theologiam, Duaci.

b) *Patres Augustiniani* egregie hoc saeculo laboribus suis philosophicis et theologicis splenderunt, alii Aegidio Colonna, alii Gregorio Ariminensi praecipue adhaerentes.

c) *Carolus Renatus Billuart*, Revinensis, 1685—1757, Dominicanus, Thomistarum sui aevi facile antesignanus et princeps; notissimus opere suo «summa Sⁱ Thomae.»

d) *Petrus Dens*, Antwerpiensis, 1690—1775, praeses seminarii Mechliniensis, dein archipresbyter...

5° In Germania scholasticam traditionem retinuerunt praecipue: schola thomistica Benedictinorum Salisburgensium; — scholae Jesuitarum Wirceburgensium et Ingolstadiensium; — scotistae Franciscani. — Ibi claruerunt non pauci doctores.

APPENDIX.

Saeculo igitur exeunte XVIII, interrupta fere ubique traditione christiana, in contemptum et neglectum delapsa doctrina scholastica, triumphante recentioris philosophiae multiplici variorum systematum discordia, omnibus in irrisionem scepticorum vel destructionem rationalistarum ruentibus, eo devenit ut non solum theoretice et in libris, sed practice et publice in agendi modo, ultimae conclusiones deducerentur. Nimirum turbata et eversa fuerunt cuncta, tum in ordine scientifico, tum in ordine sociali et morali, eoque perducta sunt quo apud exultas gentes impossibile videri debebat ut perducerentur. Vocatur illa «Gallica Revolutio.» — Ejus causae praeter philosophicos errores sparsos fuerunt: religionis catholicae immunitio; Jansenianorum, Gallicanorum, Josephistarum perfidiae; atque imprimis societatum secretarum, initio istius saeculi ortarum, et mox Judaeis invadentibus opere et foedere junctarum, occultae machinationes, quibus divinam et humanam auctoritatem omnem suffodere atque dejicere sunt aggressae.

SECTIO 3.

DE PHILOSOPHIAE REFORMATIONE AB EXEUNTE SAECULO XVIII.

Saeculo XIX, philosophiae directiones duas magnas discernere oportet. Posteaquam enim praecedentes modernae doctrinae in incredibiles excessus et abyssos «Revolutionis» deturbatae fuerant, atque externa aliqua sub Napoleone ordinis restauratio, apparensque etiam studiorum ac philosophiae reformatio fuerat adducta, et Ecclesiae restituta aliqua libertas; factum est ut recentiora systemata evolverentur quidem passim, non tamen sine intimis mutationibus renovarentur; simul apud catholicos quoque novus ardor ad